

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

BREVIS NEQVE NON SUCCINCTA CONSI-
DERATIO

De

EXISTENTIA

ET QVIDDITATE THEO-
LOGIÆ NATURALIS,

Quam

In florentissimâ VVittebergensi Academia

semel atq; iterum

PRÆSIDE

Clarissimo atq; Pereximio

DN. M. SAMUELE MOVIO

Colbergâ - Pomer.

Fautore ac Patrono suô singulari honoris cultu
de venerandô

publico Eruditorum examini subjecit

MATTHIAS HÖHERUS, Montanus

Schemnitio-Hungarus.

A. clō lōc LX. d. XIV. Jan. & XXV. Febr.

In Auditorio Philosophorum.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

Amplissimo atq; Consultissimo

Inclytæ Reipublicæ Novi-Zoliensis

MAGISTRATUI,

GENEROSO, NOBILISSIMO, atq; PRUDENTISSIMO

DN. J U D I C I,

nec non reliquis

UIRIS GENEROSA DIGNITATE, VIRTUTUM NOBILITATE,
RERUM Q; GERENDARUM PERITIA EMI-
NENTISSIMIS

DNN. SENATORIBUS,

PATRIÆ PATRIBUS

Meritissimis,

Ecclesiæ Tutoribus

Desideratissimis,

Reiq; Literariæ Promotoribus

Maximis,

Mecænatis, Patronis, ac Promotoribus suis

Devotè colendis,

Primum hocce Academicum Exercitium

in

humillimam studiorum suorum recommendationem

omni, tã tamen

submissâ animi observantiã

offert

RESPONDENS.



IN NOMINE JESU!

PROOEMIUM.



Uanquam multa extent in scriptis Aristotelis, posteritati non ingratis, quæ summi alicujus Numinis flatum sensumve spirant, quo persæpè afflat^o homo iste gentilis mirè in seipso acquievit: præ reliquis tamen id notari meretur, quod libr. I. & 12. Metaph. victrice conscientia impulsus pronunciaffe legitur: *In causa cognitione summam sapientiam consistere.* Effatum profecto pagano ferè superius! quippè qui solâ naturali providentiæ lucè adjutus notitiam de DEO naturalem summam animi complacentiam esse censuit. Nam nosse DEUM etiam Gentilium est, cum toti naturæ mortalium insculptum sit affirmante Apostolo Rom. I. 19. At ex prædictâ naturali *γνώσεως* tantum jucunditatis persentire, ut pro supremâ sapientiâ æstimeretur, magis Christianorum, quam paganorum esse, facile dixerò. Cæterum sensus dicti Aristotelei explicatu facilis habitâ modo subjecti dicentis ratione. Paganus enim loquitur non præceptis institutus, sed naturâ imbutus: & verè dixisset si *pedagogicæ* hujus sapientiæ studio ulterius invigilasset, quo ut incentivo tandem ad Ecclesiam, *salvificæ* sapientiæ scholam pervenisset, cui *substantialis*, æterna, vereq; *summa* sapientia præsidet. Hæc certè est suprema sapientia, quæ Ethnicè sapientes h. e. *inanes* (teste Paulo Rom. I. 21.) sapientes spiritualiter & salvificè reddit, ut hinc appareat quantopere Ecclesia distet à Lyceo: quantum Christi Schola antecellat scholas Philosophorum: quantum vincat humanam rationem divina revelatio. Nec cæteri philosophorum Gentilium

proceres in diversum abeunt, quin ubique fateantur, veram
felicitatem consistere in cognitione Dei. Hinc accuratiores
quique anxie laborarunt, ut Deum cognoscerent. Nos quoque
in presenti negotio philosophorum naturalium ductum
secuti considerabimus quod & quale $\gamma\omega\sigma\delta\nu\ \tau\epsilon\ \theta\epsilon\acute{o}\varsigma$ lumine
naturæ nobis pateat, & quousque ratio, non adjuta DEI ver-
bo, pertingat, ita tamen ut non ipsum templum Dei cogni-
tionis ingressi inde thesaurum noticiæ hujus reportemus;
sed in adytis solum & atrio consistamus, audituri & dicturi
ea, quæ foris circumferuntur, non obscura potentiæ & sapi-
entiæ divinæ vestigia. Et si quandoque datâ occasione subli-
mioris templi lucis splendor cæcitatem nostram serena-
verit, grato animo ejus radios recipiemus. Tu ergo, mi Jesu,
omnis humanæ & divinæ sapientiæ lux, accende augeque &
in nobis cognitionis & veritatis lucem!

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ
DE
EXISTENTIA THEOLOGIE NA-
TURALIS.

§. I. Non temerè auspicantur disputaturi à quæstione,
quæ quaritur de $\tau\omega\ \delta\lambda\iota$; præsertim urgente Adversariorum
contradictione, cum citra probatam rei controversæ exi-
stentiam, essentiæ & quidditatis investigandæ labor frustra
suscipiatur. Nos haut immeritò usitatam methodum secuti
præmittimus quæstionem de existentia rei quæsitæ, *An detur
sc. Theologia naturalis*, idque non tam rei in se dubiæ
necessitate, quàm Atheorum profanitate & insipientia
inducti facimus. Tota enim natura mortalium & omne
in eâ contentum, etiamsi judicio vulgi minutissimum, pro-
 $\theta\epsilon\acute{o}\varsigma$ nostrâ militabit, exceptis paucissimis creaturis, quæ
mête, cñ Deis alias cōmuni, prorsus extinctâ, & sensu cū belu-
is conveniente, ejurato, omne Numinis divini vacuum, mali-
tiosè principiis innatis abutentes affectant. Hujusmodi noti-
tiæ Dei naturalis debellatores quales & quo nomine nuncu-
pari mereantur? incertum est; Non certè homines cum nihil
hu-

humani præter externam hominis faciem vix residuam fecum vehant, quæ tamè tractu temporis, ob attractam internam cordis malitiam brutescit, & consequenter eâ penitus deformatâ, brutorum instar, quæ natura prona & ventri obedientia finxit, improbo sensu ductore ultro citraque trahuntur. Hinc videre est prædictos ignorantia malitiosæ fratres non humanitatem solùm, quâ ceu precioso caractere vestiti à brutis distinguerentur, deponere; sed contrà induere bestiarum naturam, imò brutis ipsis deteriores fieri, quippe quæ & suo modo tam objectivè quam effectivè DEI gloriam cum cœlis enarrant. Abeant ergò quo velint tales Dei osiores! Nos quibus sanior de summo Numine mens est probatam dabimus existentiam Theologiæ naturalis, principiis non tam Scripturæ, quam naturæ suffulti.

§. II. Quam plurima verò dantur Principia tam *theoretica*, eaque vel *universalia*, qualia sunt: Nihil potest simul esse & non esse, bis bina esse quatuor; si æqualibus addatur inæquale totum erit inæquale &c: vel *particularia*, cujusmodi sunt & quidem primò primum: Est Numen aliquod, quod omnia nutu suo moderatur; secundò primum: Deus est unus, æternus, Judex &c. illud insinuabat quod sit Deus: Istud quid sit DEUS; vel *practica* quæ iterum sunt vel *universalia* ut bonum est faciendum, malum fugiendum: vel *particularia*, quorum primò primum est: Deus est colendus; secundò prima sunt: parentes sunt honorandi, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

§. III. Cæterum principia particularia tum theoretica tum practica *proprie* & *formaliter* constituunt Theologiam naturalem congenitam. Formaliter dico: alias plurà ad eandem referri posse vel antecedenter ut præsupposita; vel consequenter, nos non negamus. Sermo autem nobis est non tam de primitate principiorum in ordine naturæ, quam constructionis h. e. immediatæ & formalis Theologiæ hujus constitutionis. Concurrent enim universalia principia quæ theoretica quæ practica tanquã partes constituètes analogi-

cè dictæ ad totum analogicè tale, sed mediatè & remotè, non immediatè & proximè. Ad acquisitam autem universalia propius accedunt, cum horum beneficio eadem exercentur, & ratione influxus priora sint ipsis particularibus, utpote quæ acquisitam non tam *formaliter, quam fundamentaliter* constituent.

§. 4. De naturali itaq; Theologiâ, quæ & quatenus ex modo recensitis juxta ac aliis principiis cognoscibilis est, quæstio nostra esto. Cæterum cum ea variè, & non uno eodèq; modo ab intellectu cõcipiatur & ponderetur, imprimis verò ratione subjectorum spectata, hinc merito iudicium intellectus ejusdemq; conceptum sequimur. Consideratur autè ea prout inest vel per *modum actus*, quæ in actum de objecto & potentia deducta adeoque actualis est, dicta alias *ἐπιτη-
7*: vel per *modum habitus* quæ & actu quidem inest non tamen per modum actus, adeoque habitualis, quæ communiter *ἐμψυ* nuncupatur. Utraque distincto cognoscendi principio gaudet: & quidem innata ex interno naturæ libro Microcosmo hoc est ipsâ animâ hominis intra eum existente hauritur, mediante facultate hominis intellectivâ, quæ sola quoad noticiam insitam rationem medii habet. Acquisita ex libro naturæ externo Macrocosmo sive mundo extra hominem posito elicitur, quæ cum externâ creaturarum contemplatione conjuncta, ab insitâ quoad noticiam acquisitam excitatur. De utrâque quidem quæritur, imprimis, tamen de *ἐμψυ* seu insitâ, cum hæc præsertim ab Adversariis impugnetur.

§. 5. Porro notandum quando probaturi sumus noticiam de Deo naturalem, quod non intellectam velimus noticiam veri Dei distinctam & in particulari, *per quam distinctè & determinatè res cognoscuntur*, definiente Thoma p. 1. q. 85. art. 3. ejusmodi noticia hoc modo limitata homini naturaliter sibi relicto, extra gratiam revelationis temerè tribuenda nõ est; quippe essentia divina secundū omnes & præcipuas proprietates, naturâ cognotabilis non est, sed defendimus saltem cognitionem aliqualem, confusam & in communi
ni

ni sic dictā, quā cognoscuntur res indistinctè sub quadā confusione. Intellectus enim & inprimis irrogenitus objectum infinitum, multò minus, salvificū sicut in sese est nec concipit, nec potest, cum inter cognoscentem & cognoscibile ad minimū aliqualis, si non omnimoda proportio esse debeat. Nam cognitio, ut Philosophi quidam definiunt, est assimilatio cognoscentis & cogniti: Jam verò mens nostra est finita & exiguo, eoq; obscuro lumine prædita, quam privativam aptitudinis cognoscendi absentiam, insuper & positiva intellectus in lapsum & infinitos errores propensio magis magisque aggravat.

§. 6. Postremò neque *relativam* noticiam de Deo lumine naturæ adstruere audeamus, quā essentia divinā sub tribus hypostasibus concepta apprehenditur, cujusmodi noticia folius luminis gratiæ, non naturæ radius atque character est. Unitatem quidem essentiæ divinæ naturalis ratio quodammodo intelligit, non item personarum Trinitatem: Sed *Absolutam* tantummodo h. e. quasdam vero Deo competentes noticias, quæ non tam ex applicatione conceptus, quam conceptu ipso de Deo judicandæ sunt. Status ergo questionis in hoc versatur: *An homo citra lumen gratiæ revelationis specialis habeat quosdam vero Deo convenientes conceptus communes, quibus cognoscat esse aliquod Numen, quod omnia sapientia & potentiâ suâ moderatur.*

§. VII. His præmissis affirmativam *ἡθικῶς* sequentibus propugnabimus fundamentis, quorum palmarium à discrimine honestorum & turpium homini per naturam competente, desumitur. Hinc dicimus: Qui novit naturaliter discrimen turpium & honestorum, ille novit naturaliter dari legem & consequenter etiam legislatorem. Atqui homo, etiā gentilis &c. Majoris cōsequentiā vera est vi relatorū, quorū esse nihil aliud est, quam alterius esse: necesse ergo uno istorum cognito alterum quoque cognosci, si non semper quid sit, tamen quod sit. Jam vero discrimen honestorum & turpidū nihil aliud est quā mensurabile: lex autē mensura: cognitō

to ergò mensurato cognoscetur & mensura. Porro cognitâ lege sine dubio cognosci quoq; oportet legislatorē, vigore necessariae connexionis inter causam & effectum. Hoc tamen cum grano salis accipiendum, ne videar asserere, specialem legislatoris notitiam, ratione omnium circumstantiarum consideratam ex qualicunque, eâque confusâ admodum legis cognitione naturali hauriri posse, quod certè vi consequentiæ allatæ non procedit: sed Majoris connexio non tam de ipsâ legislatione formaliter accepta ejusq; modo, quam de ipso legislatore explicanda E. Quemadmodum idem intelligimus circa legem ipsam, quam cognosci statuimus ex insitâ turpis & honesti differentia, quâ mediante quidem in cognitionem legis penetramus quoad substantiam actus uti loqui consueverunt, non item quoad circumstantias utpote temporis loci, causæ ministerialis, causæ instrumentalis, & personarum, quibus patefacta lex est & quippe quæ magis ad modum rei, quam ipsam rem pertinent. Modus autem circa legis communicationem observatus & quidem specialis, consistens in solenni præscriptione Sinaitica, revelationi divinæ solum acceptus ferendus atque viribus rationis non illuminatæ investigari non potest. At de modo communi ipsa sc. inscriptione aliud ferendum iudicium, qui scrutinio rationis in se intellectæ non simpliciter subtrahendus est. Præmissâ majoris probatione ad minoris veritatem illustrandam descendimus assumpto in probationem interno cōscientiæ testimonio, quod nihil aliud est, quam iudicium hominis practicum, applicans generalia præcepta ad speciales casus, hincque ad volendum spe præmii, vel reprobandum, metu pœnæ commovens. Nuncupant quidem hunc actum alii Synteresin, nihilominus tamen differt Synteresis à conscientia, uti alibi probari solet. Dicimus ergo differentiam boni & mali honesti & inhonesti esse, actû nō tã Synteresis, quippè cum hæc sit actus in principiis moralibus fundatus, tantum ad bonum determinatus: quam conscientia utpote videre est ex indifferentiâ materiæ circa quã
five

sive objecti, quod malum æquè ac bonum est. Præterea in-
notescit id nobis ex applicatione, quæ conscientiæ actus est
tantum: synteresis autè solū in simplici boni apprehensione
consistit. Et hanc conscientiæ applicationem insinuant ex-
empla eorum, ut Dyonisii Tyranni, Neronis, Caligulæ &
aliorum, qui applicationis hujus violentiam in corde stygiis
furiis obsessio, indies persenserunt. Immò quid operosè his
probandis immoremur, cum ipsi gentiles non docti solum;
sed & rudiores synteresis judicium approbarint. Illi qui-
dem scriptis posteritati relictis, ut Socrates, Plato, Aristot.
Seneca & multi alii qui abundè honestatè vitæq; integritatè,
cum studio virtutis commendarunt & docuerunt, ut quan-
doq; & Christianis palmā præripere videātur. Cæteri gētiles
quoq; sive parum sive nihil edocti asserto nostro subscriben-
tes, proprio exemplo id confirmarunt & hodie expe-
rientiæ documenta ubivis locorum contingunt. Intueamur
modò homines sceleratissimos & profanos, qui, postquam in
rebus prosperè fluentibus omnem ferè divinitatis sensum ex-
cusserant, in repentinis & subitis periculis, ubi se humano
auxilio destitutos conspiciunt, naturali quodam instinctu,
parum ratione eos movente, ad superiora convertuntur,
quia naturaliter ad suam causam convertitur effectus, & ex-
clamant illud: Deus mi, & confugiunt ad ejus opem, quem
prius contempserant. Et hæc vox impræmeditata ipsis sæpè
excidit victrice naturâ. Huc referri meretur novissimum Ari-
stotelis dicterium, qui naturæ, uti necessum erat, concessurus
exclamasse prohibetur: Ens entiū recipe animā meā, de cuius
veritate nemini facilè litem movebimus. Hinc non ob-
scure patet dari in homine naturalem inclinationem, quâ
naturalis & insita Dei notitia maximè dignosci queat.

§. VIII. Accedit consensus omnium Gentium catho-
licus quâ talis tam ratione loci, quam temporis. Naturaliter
enim inclinant omnes homines & credendum aliquem
hujus universi gubernatorem, quem Deum vocant. Cujus si-
gnum est, quod nemo nisi mente captus consistere in hoc
potuit, ut firmiter sentiret Deum non esse. Nulla deniq; gens

B tam

tam barbara quæ non Deum aliquo modo fateatur: immo homo animal gloriæ alias maluerit se abjicere infra bestias & colere lapides ac ligna & ex insitâ superbîâ ad infima quæque se submittere, quam nullum planè Deum agnoscere. Et hoc verum est, non solum de excultis gentilibus, sed etiâ agrestib⁹ promiscuè omnibus, tam Græco quàm Barbaro, tã Mediterræneo quam Insulano, Sapiente quàm Stulto, affirmante Maximo Tyrio in dissert. i. & per omnium ætatum curricula ad hæc usque tempora ubiq; terrarum observatum fuit. Oportet igitur altè sedeat Numinis divini sensus & penitus impressus sit. V. Mornæus de veritate Relig. c. i. p. 10. seq. Vossius de Religion Gent.

§. IX. Adstructâ *ἡσέει* nostra qualitercunque de existentiâ Theol. naturalis *ἐπιφύτῃ*, spontè ruit sententia eorū, qui *Atheos Speculativos directè* tales dari in natura mortalium asserunt. Contra illos observamus. Primo, quod nos planè nō dubitem⁹ de existentiâ Atheismi practici, cuius fœditate non pauci, proh dolor! infecti pessundantur, qui Religionis curam, ac pietatis exercitia, etiam externa tanquam inutilia abnegāt aut negligūt, vel ipsâ externâ professione, ut fit in Epicureismo crassiori, vel non tam professione quàm ipsa *πράξις*, vita & moribus. Quales specialiter *Deistæ, Epicurei, Libertini, Enthusiastæ & alii Zelotæ spiritus & cæt.* quibus annumerat imprimis *Henric-Nicolaitas, David-Joristas* Voëtius part. I. select. Disp. p. 118. De his enim hodiè innumeræ concionatorum & Theologorum querelæ, & hos dari qui negaverit, Solem lucere inficiabitur: sed precisè disputemus de *Theoreticis non quidem indirectè talibus* quales sunt, qui Deum per veram & solidam consequentiâ negant, ut mox fusius docebitur; sed *directè* consideratis, jam pluribus explicâdis, qui internâ scientiæ & conscientiæ negatione fascinati sunt. Deinde neque controversamur de cognitione Dei *ἐν ἐπιφύτῃ* seu actuali; hanc abesse sæpè contingit, imo aliquo in casu sæpè abest sine peccato: neque enim tenentur homines singulis momentis enūciati isti, est Deus, actualem & formalem cognitionem elicere apprehendendo & dijudicando, & talis privatio partialis seu actus secundi

cundi non facit statim Atheum *indirectè*, multò minus *directè* talem: quemadmodum dormientem privatio visus non facit cœcum: sed *ἐκ πικρῆ* seu habituali, quæ ad modum dispositionis seu habitus (voce analogicè acceptâ) permanētis primitus impressi, & deinde per observationem & ratiocinationem ex libro Macrocosmico eformati, concipitur. De jam adducti habitus absentiam non controversia movem⁹ solum *privativè*, sed & *contrariè* an contrariæ formæ positio, & contrarius assensus actus, & quidem certus, absque intellectus recalcitracione, absque obluccatione dictaminis conscientia, absque formidine partis oppositæ in homine ratione nativæ suæ conditionis spectato detur? Denique neq; quæstio est de Atheis speculativis interpretativè seu *indirectè* sic dictis, qui Religionem certam profitentur, sed non Deo conformem, aut talia de illo negant per veram & solidam consequentiam, eamque vel *immediatam* e. g. quando negant aut omnia aut pleraque attributa, proximâ & immediatâ consequentia negant Deum: vel *mediatam*, cum negant animæ immortalitatem, corporis resurrectionem, vitam æternam & sic consequenter, sed de *Atheis speculativis directè* intellectis, in quibus datur *totalis* Numinis ἀναστροφή & summa contra ἀπίστῶν suὰ πλῆθος ὀφείας hoc est: *cupiti Atheismi certitudo & evidentia*: ut paucis quæsitum absolvam: in quibus datur omnium rerum, conclusionum, & principiorum de Deo universale mentis suæ vacuum, non intentum solum, sed & obtentum? Præmissis hoc modo statu controversiæ, sententiam negativam ex abundantia probamus sequentibus rationibus. Quarum prima est ab *Absurdo*, quia sequeretur ex oppositâ sententiâ hominem aliquem esse posse sine lege naturæ, & conscientia naturali, quam tamen non posse deleri planè de mentibus hominum docet experientia, & egregiè hac de re alibi disputant Scholastici. Secunda ab *impossibili*: sicut enim propria naturalia speciatim intrinseca & absoluta à subjectis suis separari non possunt sine implicatione contradictionis e. g. libertas à voluntate, risibilitas ab homines

mine, ita neque habitus naturalis principiorum, qui est ipsa Theologia naturalis. His adjiciuntur & multa alia, à Voëtio l. sup. cit. quo videantur.

§. X. Diximus hæc de existentia Theologiæ naturalis insitæ: jam ultro pedem movebimus probaturi *noticiam Dei acquisitam* non tam argumentorum pluralitate quam firmitate instructi. Neque propter jure reprehensionem eorum merebimur, qui salva pietatis teneritate disputando Deum probari posse, negant. His respondemus Certum quidem esse principium hoc: Deus est, meritòq; præsupponendum & imprimis quando res nobis est cū rudioribus & infirmioribus in institutionibus catecheticis, ne dum dicuntur talia, doceantur: & Diabolus cum corruptâ carne occasionem sumat horrendis ejusmodi cogitationibus hominum mentes perturbandi. Sed diversum obtinet, quando *ἀνακνηστικῶς* Disputatio instituenda & adversariorum objectiones refutandæ, videndū omninò, tū ut omnia cautè & reverenter fiant, ne problema Dialecticum ventilari videatur. His in antecessum monitis, fatemur & profite-mur libenter, absolutè necessarium non esse disputare. An Deus sit, nisi impellente ad id adversariorū importunitate, quæ principia in quibus utrinque conveniri debet, non facile admittit. Nec actutum inferre licet: Ergo principia universalia desinunt esse indemonstrabilia: neutiquā. Nō enim qualiscun-que illustratio à posteriori petita dignitatem primorū principiorum tollit, sed quæ fit à priori. Siquidem demonstratio principiorum quandoq; à sensibus & inductione instituitur non tam ob defectum nativæ evidentix & firmitatis quàm ipsa principia, quam excessum malitiosæ absurditatis quàm contradicentes, qui & rationem & sensum exuisse hæc methodo magis magisque cōvincuntur. Postremo exēplū ipsi Aristotelis in præsidium instituti nostri adducere possumus, qui contra Heraclitum, & alios principium omnium consensu primum: *impossibile est idem simul esse & non esse* negantes lib. IV. Metaph. probat.

§. XI. Etsi alias quam plurima prostant ubique argu-
mento-

mentorum pondera, quæ instituto nostro ritè peragendo paria esse videantur, utpote quæ sumi solent ab ordine prioris & posterioris, ex cõditione necessarij & contingentis, perfecti & imperfecti. Item ab ordinatione omnium rerum ad finem, à mundi mole, formâ, fabrica, omniumque rerum in mundo contentarum amicâ conspiratione & similibus: Nos tamè per amadæ brevitatis ergò, sequestratis ambagibus, potiora nobis visa præeunte Aristotele adducemus. Quorum primum *ex subordinatione causarum deducit per viam causalitatis*. Intellectus enim noster ponderando mundi structurâ tam diu hinc inde grassatur donec in cognitionem causæ constituentis eleuetur. Nec aliter fieri potest, cum à natura nobis insitum sit, ut viso aliquo effectu, incipiamus causam ejus investigare. Sic conspectis creaturis concipimus & colligimus quoque creatorem, quia creatura tanquam effectus testatur de creatore tanquam causa. Hinc argument: hoc modo: Omne quod est, aut est à se aut ab alio causaliter productum quocunque tandem modo, sive per creationem sive per generationem: nam alterutrum contradictionis membrum omni enti convenire necessum est: sed creaturæ non sunt à seipsis, quia impossibile est idem simul esse & non esse & aliquid esset seipso prius, quatenus sibi ipsi esset causa, posterius, quatenus à seipso produceretur, essetque sui ipsius effectus: omnis à causa prior est suo causato, & sic idem esset prius & posterius se ipso, esset ut causa, non esset ut effectus. Si verò ab alio productæ, tunc porro concludimus: Illud à quo creaturæ productæ vel à seipso est vel ab alio. Si hoc, iterum argumentamur donec tandem ad aliquam causam efficientem primam & principium primum deveniamus, quod omnes Deum nuncupant. Nam in infinitum procedere non est, ex eo, quod causæ secundæ non agant nisi in virtute primæ. Idem ferè quoad re est, quãdo hoc modo quidã ratiocinantur: aut Deus est, aut non est, si non est E. dabitur secundum sine primo, dependens sine independente, imperfectum sine perfecto, finitum sine infinito. Sed hæc omnia absurda sunt E. absurdum est illud;

esse Deum conseq. probatur: Nullum secundum sine primo, quia nullum posterius est sine priore. Sed secundum est posterius priore. Nullū dependēs est sine eo, a quo depēdet, iretur alias in infinitum, quod naturā non patitur. Nullum imperfectum sine aliquo perfecto: absurdum enim foret omnia & singula esse imperfecta, nihilque dari, quod illas in se contineat perfectiones, si non *proprie & formaliter* sive secundum propriam formalemque suam entitatem, tamen *representative, objective & eminenter* tanquam in causa efficiente æquivocā, quæ licet proprias entitates in se non habeat, habeat tamen aliquid eminentius illis, essentiam nempe talem, quæ possit tum entitates istas omnes, cum omnibus perfectionibus earum producere, tum actus omnes effectivos illarum perfectionum per aliquid illis perfectionibus majus, eminentiore ratione attingere. Nullum deniq; finitum sine infinito, quia nihil finit seipsum *positive* sc. conf. Theol. Naturalis Herbordi & Cloltz.

§. XII. Et hanc methodum ac rationem convincendi Atheos desumptam ab effecto ad causam, seu ab operibus ad opificem, quam vulgò cum Dionysio Areopagitā *viam causalitatis* appellant, ipse spiritus S. docuit & adhibuit locis sequentibus Rom. 1. 19. 20. Act. 14. 15. 17. Job. 38. 30. Esa. 40. 21. 22, 26. Quæ loca probè ponderanda, in quibus ipsum Deum, Prophetas & Apostolos hanc methodo disputare videmus. Valeant ergò illi, qui hunc probandi processum tanquam incertum & minus evidentem ac tutum improbant! Præterea methodus hæc cōtra omnes exceptiones defēditur à Scholasticis è quib⁹ vid. Thom. lib. 1. contra gentes c. 12. 13. & in summæ part. 1. q. art. 2. & 3. cum Cajetano aliisque commentatoribus. Item Magister sententiarum lib. 1. dist. 3. Ex Theol. naturalibus & antagonistis Atheorū, Epicureorum, Gentilium Cōf. Savanorola in Triumpho crucis lib. 1. c. 6. Petrus Molinaus in libello de cognitione Dei. Alstadius in Theol. Naturali. Mutius pansa in Osculo Christianæ & Ethnicæ Philosophiæ, Voëtius parte I. selectar. Disp. In primis verò Theologus Celeberrimus Dn. Joh. Meisnerus Patronus atque Præ-

ce-

ptor meus optimus, maximus in disput. I. de Cognit. DEI
Naturali.

§. XIII. Alterum petitur *ex parte motus*, ex quo Arist. lib. 8. Physic. & lib. 12. Metaphys. unum aliquod inter omnia mobilia & moventia primum, quodque à nullo alio moveatur, deducit. Si hoc jam verum est, uti reverà asseritur, quod omne, quod movetur, ab alio moveatur, sequitur aliquem esse primum motorem immobilem, qui semper sit actu, nunquam potentia: moveri enim est potentiâ in actum traduci. quicquid autem movet, est actu, uti quicquid movetur est in potentia. Quemadmodum nihil actu & potentiâ simul esse respectu ejusdem potest, ita nec idem simul movere & moveri. Nihil ergo seipsum movet, sed omne quod movetur per se & Motu Physico, ab alio movetur, & eo usq; progrediendum, donec perveniamus ad primum motorem, qui idem sit immobilis. Non secus ac in corpore humano artus moventur à musculis, muscoli à nervis, nervi à spiritibus, spiritus ab animalibus, animales à vitalibus, vitales ab animâ, quæ non movetur nisi per accidens. Illorum autem quæ moventur *per accidens* alia ratio est, qualia sunt quæ per se sumpta non moventur, cum aliis tamen mobilibus conjuncta, ipsa simul moventur motu sc. alieno: ut cum eo motu, quò formæ animalium movent, ex accidente & ipsæ cum animato, moventur. Non secus ac sapientia ambulat, aut ut gubernator sedens ad clavum sic quiescit, ut tamen motu navis moveatur: vel motu Metaphysico & improprie tali, qualis in resultantibus naturalibus & actionibus immaterialibus est, uti sunt actio intellectus, voluntatis & similes. Quæstio præcisè intelligenda venit de *motu physico*, quò primum à secundo, secundum à tertio, tertium à quarto movetur, & sic consequenter, donec pertingamus ens aliquod natura ergo abhorret ab infinito) quod moveat, sed non moveatur, quale est primus motor Deus.

§. XIV. Nec est ut aliquis objiciat, hanc viam insistere solos Philosophos, non item vulgus ignobile & quidem ob judicii defectum & hujusmodi ratiocinationis incapacitatem

tatem. Huic respondemus verum quidem esse plebem abje-
ctam, & incultam in cognitione Dei naturali tantum ingenii
non adhibere, nec posse, esse tamen & alia media etiam vul-
go indocili appropriata. Ut quando circumfert oculos per
totum orbem, miratur stas annorum tempestates, solis
pulchritudinem atque potentiam, ætus maris reciprocos,
Eclipses Solis, Lunæ, tonitrua, terræ motus, plantarum in-
crementa, virtutes, animalium diversas formas, denique
tantam hujus machinæ perfectionem contemplandam ha-
bet, ut singulæ partes officiant contemplationi totius. Et
hæc est prima ratio, qua Deus homines etiam barbaros ali-
quo sensu divinitatis affecit. His mutis Magistris etiã tardissi-
ma ingenia ad sui cognitionē informavit, quò spectat Psal-
mistæ Psal. 19. Cœli enarrant Dei gloriam &c. Accedit & al-
tera Deum cognoscendi ratio sc. Semina æquitatis & ho-
nestatis in externâ conversatione & contractibus utcunque
provenientib⁹: negligētes cōtra justitiæ studia, ac honesta-
tis aculeos consciētiae, qui tacitis subinde morsibus eos lanci-
nant, summâ cum animi tristitiâ persentiscunt adeò, ut his
urgentibus non obscure judicem fateri necessum habeant.
Tantum hac vice de Existentiâ Theologiæ Naturalis: Pla-
niores plenioresq; materiæ hujus tractationem ut &
defini tionem ipsam alteri disputationi de Essentiâ
ipsa Theologiæ naturalis, reservatam hac
vice suspendimus.



ESSENTIA THEOLOGICÆ NATURALIS

S. 1.

Quæ circa *Existentiã* Theologiæ Naturalis alias occurrunt, & disputari solent, pleraq; in præcedente Disputatione contra Atheos communem Numinis sensum soporantes expedita sunt. Nunc ergo inoffenso pede progressuri, in Essentiã & quidditatem pro virili inquiramus. Enim verò non impræsentiarum litem inter philosophos ferventem de geminæ hujus quæstionis origine nobis propriam faciemus: Utrum rectè ex distinctione Aristotelis, quæ distinguit inter quæstionem *An sit*, & *Quid sit* res aliqua, petatur, nec ne? Deinde neq; de eo operosè laborabimus, an distinctio hæc inter has quæstiones de *Existentiã* & *Essentiã* fundata sit in ente simpliciter tali, an verò creato solum? Porro neq; de eo anxie disquiremus an respectu creati, ex esse & non esse resultet, & utrum in differentia hæc per modum abstractionis negativæ an præcisivæ concipi debeat & id genus aliis, quippè quæ partim hic aliena; partim non adeò necessaria, & præterea satis discussa à *Franc. Suarez Tom. 2. Diss. Metaphys. Diss. XXXI. Sect. 7.* Sed sufficiat hic de disputationis nostræ argumento unum alterumve præmonuisse.

S. 2. Thema hoc de naturâ & quidditate Theol Naturalis, quò difficilius est, eò accuratius evolvendum; præsertim cum de eò Theologi Naturales in diversas abeant partes, quorum alii adhuc & quidem rigidiores de ipsa competentia & inhærentia litigant: alii iisq; molliores concessâ competentia, de hujus modo saltem decertant; alii aliter procedunt. Nos prædictis sententiarum divortiis in tantum remissis, id solum in præsentia adducemus, quod veritati conforme, & hætenus eruditis viris probatum est; ne recensendis autorum opinionibus præscriptarum pagellarum spatium excedere videamur. Ut autem opera nostra manifesta juxta ac distincta appareat, succinctam theoriam causalem in sequentibus producemus.



S. 3. Co-

§. 3. *Cognitionis hujus naturalis Causa Efficiens & quidem Prima* Deus est univertus, hominem in primavâ creatione ingenti sapientia & scientia concreata luce collustrans. Quæ postmodum valde extincta per lapsum primorum parentum adeo quidem, ut in homine post lapsum spectato exigua admodum reliquia in mente & voluntate remanserint, quas principia nobiscum nata, modo theoretica, modo practica appellamus. Et hoc fatetur ipse *Augustin lib. 1. de Spiritu & lit.* quando inquit: *Non omnino deletum est, quod in mente per imaginem Dei, cum crearetur, impressum est.* Quemadmodum enim ex ingenti flammâ post restinctum incendium favilla aliqua, & ex magno ædificio, post everisionem, rudera quædam supersunt: sic etiam de concreata imagine Dei post destructionem ejusdem per peccatum scintillula quædam notitia Dei in mente hominis supersunt & rudera nonnulla sapientia primigenia. In his ergo consistit generalis illa hominum cum Deo conformitas quoad intelligentiam & rationis usum pro diversitate subjectorum, estq; ipsissima de qua nunc agimus, notitia naturalis.

§. 4. *Causa Media* est facultas hominis intellectiva, quæ mediam est vel sola respectu notitia insita; hæc enim omni rerum contemplatione destituitur: vel cum externâ hujus universi & aliarum creaturarum contemplatione conjuncta, & ab eadem excitatur quoad notiam acquisitam. Per facultatem autem intellectivam respectu notitia innata, non intelligimus actualem intellectus agentis operationem, species intelligibiles à materiâ abstractas intellectui passivo representantem, eiq; imprimentem & ad operandum eum impellentem, definiente *J. Micralio communi Pomerania Præceptore æternum deplorando, in Lexico Philosophico pag. 551.* sed intellectus patientis qua talis non in potentiâ tantum sed in habitu & actu primo spectati virtutem quandam, quæ se habet ut subjectum denominabile respectu Theologia naturalis, ut formæ denominantis. Vid. *Job. Combachius lib. IV. Phys. cap. 4. theoremate. I.*

§. 5. Nonnulli prædictam cognoscendi facultatem cum ipsâ Theologiâ naturali insitâ simpliciter convenire censent dicentes: Theologiam naturalem insitam esse nihil aliud, quam vim & facultatem naturalem cognoscendi Deum, vi cujus intellectus natura-

tura-

turaliter aptus existat ad cognoscendum Deum, & quasi in proxima potentia; sed eam actu tamen impressam non habeat. Enim verò sola cognoscendi potentia *ἀκίνητος* insita notitia vocatur, quippè quæ *actualem* quandam *inexistentiam* importet. Alii contra pro actuali Dei notitiâ & inscriptione militant statuentes, homini naturâ inesse *κοίνας ἐνοίας*, ut quasi insculptum sit animis hominum esse Deum, idq; vel *formaliter*, vel *idealiter* & per *speciem expressam*. Nos salvis aliorum iudiciis decantatam hodiè *Reverendisimorum Theologorum Wittebergensium ἀκρίβειαν* non immeritò amplectimur, quorum mens hæc est: Non quidem notionem aliquam actu inscriptam esse homini de Deo quantum ad *speciem expressam*; verè tamen dici cognitionem Dei homini naturâ insitam, quod non tantum potentia *κρητική* sit instructus, beneficio cuius absq; Dei patefactione per verbum & aliorum traditione & disciplinâ homo possit colligere Deum: sed etiam *habitualis* quædam *ἰσογνωσία* in homine per naturam detur, quâ *δύναμιν κρητική* aliquo modo perficiatur. Verum enim vero hæc *habitualis* notitia probè explicanda est, ne Theologiæ neq; non Philosophiæ hætenus usitatam opinionem pervertamus. Nam etsi *actu* inesse homini notitiam quandam largiamur; non tamen hanc ita intelligimus atq; interpretamur, ac si per *Modum actus* homini conveniret, cum ante rationis usum & exercitium mens hominis neq; propositiones neq; terminos simplices apprehendat, & proindè veritatem falsitatemq; ullius propositionis *actu* nondum cognoscat. Hoc enim si faceret, ratione jam uteretur antequam uteretur, quod implicat contradictionem: Immo verum hac in parte effatum Aristotelem: *Intellectus potentia quidem est quodammodo intelligibilia ipsa, actu v. nihil est eorum, antequam intelligat ipsa lib. 3. de animâ cap. 4. text. 15.* nempe quantum ad *speciem expressam* & *ideam* aliquam mente conceptam; & hoc respectu instar tabulæ nudæ est, in quâ scriptum nihilum est, etsi inscribi quodvis potest. Quod utiq; verè dictum est ratione specierum & *complete* sive actualis cognitionis; Non tamen negandum facile est, in homine ante rationis usum dari *habitum* quendam *ἀνάλογον* habitui, qui sit aliqua *πλείωσις* & perfectio potentiae intellectualis in homine post lapsum. Diximus *ἀνάλογον* habitui: alias *omnimodam convenientiam* inter habitum Aristotelicum & *notitiam*

titiam naturalem in rigore scientifico non admittimus: sed qualemcunq; saltem, & cum habitu quâ certa requisita congruentem & 1. quidem quod sit qualitas. 2. quod firmiter inhaereat. Statuimus ergo Theologiam insitam homini inhaerere per *modum habitus impressi* sine mentis operâ, sine magistro: non autem per *modum actus* & quoad *species expressas* à mente formatas. Et hoc absurdum non est, dari habitus in mente etiam ante *abstractionem & actualem conceptum specierum intelligibilium*, quarum absentia non cuiusvis cognitionis naturalem carentiam infert, sed actualis solum cognitionis defectum arguit. Quo sensu etiam Arist. *Φυσικὴν* quandam ἀπετην agnoscit *lib. 6. Nicom. cap. 13.* & *ἰνδραὶον Φυσικὸν lib. 5. cap. 9.* Deniq; quid iudicandum de iis, quæ Prophetis & Apostolis *immediatè* inspirata sunt ab ipso Deo citra species sensibiles? Horum mysteriorum inspiratio quamvis sese haberet per *modum actus transeuntis*, & non per *modum habitus permanentis*; tamen fiebat sine præeunte sensuum externorum opera ex parte Dei inspirantis requisitâ. Quidni etiam *immediatè* menti nostræ divinitus implantari potuerit notitia de Deo *habitualis* sine præcedaneo sensuum ministerio? conf. in hanc rem *Theologum eminentissimum Dn. Abrah. Calovium, Præceptorem nostrum atq; Patronum æternum devenerandum Tom. I. in A. C. p. 151. & sequent.* Immo adhuc sub iudice lis est, an nullæ species nobis sint innatæ? Nam *Scaliger* expressè fatetur quasdam cum animâ nostrâ notitias connatas esse, easq; à philosopho ὄν dici; & si bruta habent principia connata, si sciunt faciendâ & omittendâ: homo non erit conditionis deterioris. Ultimo deniq; loco hoc addo, quod ex præsentia specierum intelligibilium connatarum, quas ex *hypothesi* adduco, actualem cognitionem in infante non statim colligere liceat; cum ad *habituaalem*, affirmante *Socin. rate lib. 7. Metaphys. quest. XI.* sufficiat si species sint in mente; ad actualem verò requiri, ut *actu* mens easdem cognoscat. Ut enim intellectus, ratio & cœteræ facultates, quæ etsi homini naturaliter insunt, non tamen statim actu secundo sese exerunt: ita etiam ista notitia naturalis homini inesse potest, licet non statim forinsecus operetur. Remanet ergo, quod secus sentientes malè à negatione actus primi ad negationem actus secundi procedant. Vid. *Maxime Reverendus Dn. D. J. Meisner. diss. II. de cognitione Dei naturalis.*

S. 6. Ma;

§. 6. *Materia est vel ex quâ; vel circa quam.*

§. 7. *Materia ex quâ ἀναλόγως sic dicta sunt principia naturæ lumine nota, tam theoretica, quam practica cum deductis inde conclusionibus, ut in disput. prioris §. 2. & 3 fusè explicavim⁹.*

§. 8. *Materia circa quam objectum est, idq; tum generale, tum speciale.*

§. 9. *Objectum Theologiæ naturalis & quidem in genere Deus est, non solum quod sit, sed etiam quid sit. Prius expeditum in præced. Disp. jam ad posterius descendendum, & τὸ quid sit lumine naturæ investigandum erit. In specie quod concernit Dei considerationem, tum ea commodè in hæc tria capita dispescitur. Quorum Primum sit de τὸ esse Dei; alterum de τὸ velle Dei; tertium de τὸ operari Dei. De his tribus capitulis eò quò par est considerandi modo agemus hic, non mysteria divinitus nobis revelata huc transferemus, nisi in quantum id sub distinctione vel per remotionem saltem evenerit, ne Theologica cum Philosophicis permiscere dicamur.*

§. 10. *Primum quod attinet, agit de τὸ esse Dei. Cum a. id sub duplici notione à nobis concipiatur, partim ut absolutum; partim ut relativum, ideò de distinctis distinctè quoq; agendum erit. (1) Esse Relativum (ut de hoc prius dicamus) est, quando Deus consideratur respectu personarum, harumq; relationis internæ, quâ personæ ad se invicem referuntur. Cujusmodi cognitio solius revelationis supernaturalis articulus fidei est, & purè theologicus, non mixtus, qui partim scibilis, partim credibilis. Est enim mysterium hoc ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, καὶ ὑπὲρ πάντα κτλ. ἄψιν. Contrà v. nostra cognitio naturalis de Deo & rebus divinis non nisi ab effectu incipit: quoniam autem nullus effectus in rerum naturâ unquam extitit, qui Trinitatem exactè representare potuit, sequitur exindè, quod hujus cognitio è creaturarum contemplatione etiam accuratissima temerè quærat. Quod notari volumus contr. Keckerm. lib. I. System. Theol. cap. 3. Morneau lib. 5. de Vera Relig. Bisterfeld. in Synopsi Anti-Crellio oppositâ num. 17. N. Vedelium in Rationali Theol. cap. 10. quorum sententiæ erroneæ oppositam refutationem verè masculam I. in tractatu de Usu principiorum rationis, nec non in peculiari Diss. laudato libello annexâ Dn. D. Joh. Musæi, quâ rationes Keckerm. accuratissimè dissolvit &*

proffigavit. II. Dei esse absolutum est, quod expeditur contempla-
tione conceptus quidditativi, & eorum, quæ istum in ordine ad
nostrum concipiendi modum sequuntur. Mendoz. Diss. Metaph. 3.
Sect. 1. d. 20. S. 2. conceptus quidditativus est, quo essentiam Dei
absolutè consideratam concipimus: estq; vel communis, qui dici-
tur ab Arist. τὸ τὴν εἶναι, ab aliis ratio formalis, ratio quidditati-
va, conceptus definitivus essentialis: vel proprius & differentialis,
qui est quasi præcipua forma rei. Uterq; conceptum essentialem
totalem complet, ut benè monet Fonseca lib. 2. Metaphys. c. 1. q. 2. S.
4. Et quidem conceptum communem constituit *Spiritualitas*:
conceptum v. proprium absolvit *prædicatum infinitatis*. De his &
cæteris attributis divinis in præsentia pauca admodum, pro insti-
tuti nostri ratione in medium afferemus, visuri quæ illa sint, &
quatenus ex naturâ investigari possint. Neq; propterea prolixam
& plenariam attributorum divinorum demonstrationem è na-
turâ proponemus; sed doctrinam hanc ut suppositam & alibi in
Metaphys. & Pneymar. prolixè pertractatam, hîc per modum ap-
plicationis saltem adducemus.

§. 11. Sciendum autem est prædicata Dei essentialia (de
personalibus homo ψευδὲς nihil prorsus novit) in triplici esse
differentia I. Quædam sunt *relativa* (voce relationis ad extra sum-
tâ) & declarant essentiam divinam cum connotato respectu ad
creaturas, qualia sunt esse causam primam, creatorem, conserva-
torem, gubernatorem universi &c. II. Quædam sunt *absoluta* in
quantum ἁπλῶς s. relationem causalitatis formaliter non dicunt,
eaq; *positiva*, sic dicta ut contradistinguantur negativis mox ex-
plicandis, ut sunt, esse bonum, justum, sapientem, intelligentem,
voluntate præditum &c. III. Quædam sunt absoluta sed *negativa*
qualia sunt, unum, infinitum, immensum, immutabilem esse, &
sic consequenter.

§. 12. Prout autem sunt triplicia, ita triplici viâ & modo
etiam ex creaturis investigantur. Et quidem *relativa* prædicata
quia describunt essentiam divinam cū relatione ad creaturas,
quæ à Deo efficienter dependent, indagantur à nobis *viâ causali-
tatis*; naturæ enim insitum est, ut viso effectu incipiamus cogitare
de causâ, eamq; inquirere; & indè juxta Aristot. philosophia
sumit suum initium. Deindè prædicata absoluta *positiva* in-
vesti-

vestigantur *viâ eminentiâ*: ubi observ. viam emanantiâ præsup-
ponere causalitatis viam. Postquam e. cognovimus omnes crea-
turas efficienter dependere à Deo, ratio nostra ulterius confide-
rando procedit colligens, nihil esse in effectu, quod non suo
modo præextiterit in causâ: undè quicquid perfectionis est in ef-
fectu, id omne in Deo etiam tanquam causâ *suo modo* esse, recta
ratio dicitur. Tertii ordinis prædicata autem cognoscuntur *viâ*
negationis, quando scilicet imperfectiones creaturarum à Deo
tanquam ente perfectissimo removemus, v.g. cum consideramus
quod in creaturis dependentia, finitudo, mutabilitas & id genus
alia, imperfectiones involvant, ratio recta statim colligit à Deo
tanquam Ente perfectissimo has imperfectiones esse removen-
das, & indè dicit Deum *independentem*, quatenus causam Effici-
entem excludit; *infinitem* id est finientem omnem seriem causa-
rû, Efficientis, Finalis &c. optimeq; vocat *αὐτόθεον*, quod à veterib;
usurpatum & exprimit Ebræum illud **יהוה אלהים** Devt. 4.
33.39. *in sensu negativo* interpretandum: Hinc porro deprehendit
Deum esse *immutabilem* sc. in Deo dari perpetuam essentia divi-
nâ & omnium ejusdem perfectionum identitatem: *immaterialem*
h.e. omnem compositionem quocunq; modo simpliciter ex-
cludentem; *aternum* id est omnis temporis atq; successione ex-
pertem, & quæ sunt alia prædicata Deo competentia. Dicuntur
autem *negativa* postrema hæc attributa non *fundamentaliter*: hoc
enim sensu inferunt positivam & realem Spiritus perfectionem;
sed *formaliter*, quoniam positivam perfectionem sub istâ nega-
tione exprimere nos cogit necessitas, & intellectus nostri imbecil-
litas. Spiritus enim infinitus ab intellectu finito *quidditative* co-
gnosci nequit quoad omnia prædicata ad rei proprium & posi-
tivum conceptum pertinentia, licet quodammodo aliquod attri-
butum quidditativum apprehendatur. V. B. J. Martini lib. 2. Exer-
cit. Metaphys. 4. theorem. 2. Scheiblerus l. 2. Metaphys. c. 3. num. 24. Præ-
reliquis autem Beatissimus D. Scharffius Philosophus ac Theol.
undiquaq; celeberrimus lib. 1. Pnev. c. 2.

§. 13, Secundum caput est de τῷ Dei velle, quod primò est
vel *Evangelicum*, concernens salutem hominum, quod ipsum uti-
merè Theologicum & salvificum objectum est, ita etiam soli
Theologiæ evolvendum relinquimus. Immo notitia nostra na-

148

rurails cum voluntate Dei Evangelicâ collata, *prorsus nulla* cen-
seri debet, quâ nihil, nihil omninò de revelatione Evangelii na-
turâ innotuit, quippè quod mysterium planè est absconditum.
Rom XVI. 26. deindè vel *legale*, quod cum *velle revelato* compa-
paratum valdè imperfectum quidem est, tamen aliquo modo na-
turâ notum, non quidem *quoad internam omnium facultatum re-*
ctitudinem; sed *quoad externam duntaxat observantiam* circa vitæ
honestatem atque mores ut patet ex usu Theol. Nat. pædeutico
consistente in directione morum & externâ disciplinâ in & extra
Ecclesiam. de his accuratè *Dn. D. Calovius T. II. System. Theol. c. 1.*
Sect. 1. p. 46.

§. 14. Tertium caput idq; ultimum insinuat *vò operari Dei*,
quod duplex est, vel *quoad intra*, quod in ipso Deitatis complexu,
ut ita loquar, peragitur: Illudq; est partim *essentiale* ut *actus*
tum *intellectus*, quando Deus seipsum cognoscit; tum *volun-*
tatis, cum Deus in seipso ceu in S. B. acquiescit. Dicuntur *actus*
essentiales, quia terminantur ad ipsum Deum, & pro principio
agendi *essentiam* divinam absolutè consideratam agnoscunt:
partim *personale* ut gignere, spirare, cujusmodi operationes in-
tellectui finito *quoad solidam demonstrationem è lumine natu-*
ræ possibilem, nullo modo innotescunt. Ecquis enim per natu-
ram cognoscet, Patrem ab æterno genuisse Filium, & ab utroq;
procedere Spiritum S. Prioris generis actuum cognoscendi *possi-*
litate non in totum lumini naturæ denegamus, quamvis nec
eorum *actualitatem* adeò propugnemus: Vel *quoad extra*, quod
tendit in rem extra Deum positam, sive in objectum quod non
est ipse Deus, sed quod aliud est ab ipso Deo. *Opera ad extra* verò
rursus variè distinguuntur. Nam alia opera ad extra sunt *interna*,
sive *immanentia*, quæ quidem in objectum extra Deum positum
sive quod non est ipse Deus, tendunt, non tamen extra Deum,
sed in Deo peraguntur, ut sunt: Decreta voluntatis divinæ crea-
turas respicientia. Non omne e. opus ad extra statim est opus
externum: Potest esse opus ad extra, quod tamen *actus Trini-*
tatis externus non est. De his ratio naturaliter sibi relicta judicare
nihil potest è solo naturæ lumine. Et alia sunt opera *ad extra ex-*
terna, quæ & objectum extra Deum positum respiciunt, & effe-
ctum extra Deum positum relinquunt. *Conf. Pl. Reverendus &*
Exce ll

Excell. Dn. D. J. Frid. König ante hac in Academia Gryphicâ Tb. P. P. fami-
gerabilis, nunc Ecclesiarum per Principatum Ratzeburgensem & circulum
Meclenburgicum Superintendens Generalis, Patronus atq; præceptor
meus perpetuâ animi observantiâ colendus, in Diss. quadam de Grat. ho-
minis Peccat. Justificatione cap. 3. §. 5. & 6. & 7. Wolleben compendio
Theol. Christ. cap. 3. Porro. Hæc opera ad extra externa sunt vel perso-
nalia quæ extra Deitatis sinum peracta uni certæ personæ per appro-
priationē *ὀκονομικῶν* tribuuntur. Cujusmodi sunt: Apparitio Spiritus
S. sub specie columbinâ visibili, clamor Patris de cælo in baptismo
Christi, apparitio Filii Dei sub formâ & habitu viri, vel Angeli tem-
pore V. T. Horum operum externam Symbolorum præsentia notitiam
naturalis ratio quodammodo apprehendere potuit, profundam autem horum
actuum intelligentiam ratione finis & circumstantiarum rationis judicio
planè detrahimus: vel *essentialia*, quæ circa objectum aliquod externum
versantur a deoq; indivisa h. e. tribus personis communia. Et hoc indè est,
quia opera ad extra externa pro principio agendi ipsam Dei essentialiam
agnoscunt: atq; uti hæc una est, ita & virtus agendi ac operatio ad extra
una est, indivisè & Patri & Filio & Spiritui S. competens, servato tamen
ordine & discrimine personarū, talia opera sunt ita comparata ut partim
sciuntur, partim credantur pro diversitate rationis formalis sub quâ s.
modi considerandi. Et hæc sunt opera Potentiæ, Misericordiæ & Justitiæ.
De operibus potentiæ hoc monendum, quod mixta sint h. e. partim scibilia
partim credibilia, de reliquis autem operibus Misericordiæ & Justitiæ
infra citandis idem non esto judicium.

§. 15. Quod primum in ordine opus *potentiæ* attinet, est ipsa *crea-
tio*, de quâ quæritur: Utrum ex lumine naturæ cognosci possit? Et
potest quæstio bifariam intelligi. Primò quidem *de possibilitate*; an ex
lumine naturæ cognosci possit, possibile esse, ut aliquid producat
ex nihilo. Deinde de ipsâ *actualitate*, an ex lumine naturæ cognosci
possit, actu ipso quædam esse ex nihilo producta s. creata? Quæstio-
nem hanc inter alios prolixè tractat *Marsilius ab Inguen lib. 2. Sent. dist. 1. quæst. 1. art. 2.* & *Gregor. Ariminensis lib. 2. sent. dist. 1.* Pro possibili-
tate afferri solent rationes consideratu non indignæ, quas *Marsilius l. cit.*
improbat militans pro negativâ. Nos ad utramq; distinctè R. ad
primam quod aliud sit *aliquid esse possibile*: & aliud *ex lumine natu-
ræ cognosci posse, quod sit possibile*. Prius facilius probatur, quam po-
sterius, cum Deus sit agens infinitæ potentiæ, cui omnia sunt possibi-
lia,

B

lia,

lia, præter ea, quæ contradictionem implicant. Atqui aliquid produci ex nihilo non implicat contractionem; recte ergo dicitur Deo possibile esse. Ad secundam R. distinguendo inter *creatorem, creationem & creaturam* ipsam. Causam Efficientem quod concernit huius universi Deum esse, eumq; omnium rerum effectivum universale principium, & ab hoc effectivè & causaliter creaturam dependere satis probant sequentes ut *Thomas p. 1. quest. 4. art. 2. Suarez Disp. Metaph. 20. sect. 1. dist. 9. Plessæus de veritate Religionis cap. 8. Voetius Dissput. Select. Part. 1 p. 568. Raymundus de Sabunde Theol. naturali, Mornæus de veritate Relig. Christ. c. 9. Pererius in Diss. Phys. l. 15. Zanchius de operibus creationis lib. 1. cap. 3.* Deinde creationem, si velimus ritè explicare, ejusdemq; cognitionem naturalem adstruere, notand. probè, quod alia ratio sit quando quæritur de creatione *activè* sumtâ, ut est actus ex parte creatoris non quidem *immanens*, (alias non procederet distinctio nostra modo allata inter creatorem tanquam causam efficientem, creationem tanquam medium & creaturam tanquam terminum, cum *actus immanens* non sit medium quoddam inter rem productam & virtutem activam) sed *transiens* qui à creatore ex parte rei distinctus, medius sit inter virtutem divinam & rem productam: à creatoris quidem virtute activâ, quia hæc interna est atq; intrinsecè denominat essentiam divinam; verum creatio quatenus actum transeuntem dicit, fit in tempore & extrinsecè saltem denominat subjectum suum: à re. producta v. discernitur ut actus ab essentiâ divinâ immediatè progrediens, à termino extra essentiam divinam interveniente creationis actu à virtute creatrice producto: Et alia ratio, quando sermo est de creatione *passivè* spectata, prout est ex parte creaturæ ipsa realiter essentia creaturæ intellecta cum dependentiâ in facto esse. Priori modo creationem citra specialem revelationem divinam solo naturæ ductu homo non cognoscit; hoc enim esset à priori creationem cognoscere; quod tamen fieri nequit, cum quæstio de creatione sit historica de re & facto singulari. Posteriori modo cognoscitur creatio ex effectu, ex ipsis creaturis, quæ tamen cognitio confusa admodum & non satis distincta, quoniam modi, atq; temporis notitia determinata atq; certâ non habetur naturaliter, neq; à posteriori, quæ ad exactam rei & formalem cognitionem plurimum facit. Philosophus equidem agit de modo creationis, sed id facit partim non quâ philosophus, sed quâ Christianus; partim obscure & insufficienter, idq; ex eo cum historia creationis à Mose descripta,

scripta, ex quâ modus, ordo &c. creationis desumitur, non ad Philosophum sed Theologum spectet.

§ 16. Alterum in ordine potentiae divinae opus est *providentia*. Hujus notitia an naturalis detur, non frustra quaeritur, imprimis urgente Atheorum malitiâ, qui omnem Dei providentiam vitâ & moribus suis negare videntur. Verum ut evidentior & facilior quaesiti decisio fiat, breviter quaedam in antecessum praemittenda de providentiâ ipsâ. Consideratur v. ea primò vel ratione *objecti*, vel *ratione formae* utroque modo accepta providentia divina naturali lumini subjacet. Et primò quidem quoad objectum, idque tum generale, quod sunt in universum omnia à Deo condita: tum speciale, quod primario homines & hi quidem in genere omnes (ad differentiam obj. specialissimi, quod conservatio ac gubernatio Ecclesiae, & hominum fidelium) secundario reliqua creata sunt omnia, ne minimis quidem exceptis. Deinde v. respectu formae, quae gemino actu absolvitur. Prior est *conservatio*, quâ Deus creaturas in suâ causâ & naturalibus proprietatibus ac viribus, quas in creatione acceperant, conservat quousque vult. Et potest conservatio quatenus actus est iisdem ferè modis commodè accipi, uti de creatione praeced. §. dictum est. Consistit haec ipsa conservatio tum in status creaturarum *continuatione*, quomodo exg. Sol, Luna & Stellae reliquae ordinem & statum suum observant, in quo eas condiderat creator: tum in *successione*, quâ pereuntibus individuis nova semper surrogantur, ne species intereant: tum in *mutatione* quâ exg. terram infrugiferam fecunditate donat. Posterior actus est *Gubernatio*, quâ Deus creaturas in actionibus & passionibus suis decenter moderatur ad suam gloriam. Dicimus jam dari etiam naturalem providentiae divinae *πρόνοια* generalem circa totum mundi systema, & specialem circa hominis, horumque actiones non a specialissimam in gratiosâ Ecclesiae fidelium conservatione & protectione consistentem. Qui desiderat thesuros hujus uberiorem confirmationem evolvat *Steph. Clotzium Theol. Nat. disp. XVI.* & *Hannib. Rosfelii in Pymmandrum Mercurii Trismegisti lib. IV. comment. VIII. q. 1. c. 2. & 3. q. 1.* Undè patet quod temere negaverit *Taurellus in Synops. Metaphys. Arist. & in Triumpho Philosophia*, indigere ad sui *Ναυονίη* seu permanentem existentiam, & ad *συνάφεια* seu compagem & societatem illam, qua prohibetur universalis *ἀναταραχία*, res creatas universas ac singulas, Deo conservatore. Conf. *Cloppenburg. Diss. Theol. L. de Deo Diss. 1. §. 10.* Nec est ut aliquis regerat, insignem hac

ratione commixtionem fieri Theologiæ cum Philosophiâ. Theologia e. agit de creatione & providentiâ, hinc eidem unice hanc materiam pertractandam relinquamus. Sed respondemus I. non statim confusio inde emergit, quando res aliqua in distinctis disciplinis tractatur. Sic de homine agit Physica, Ethica, Medicina, Theologia, neq; ex inde metuenda aliqua confusio. Proinde II. Dist. inter rem ipsam & modum tractandi, qui ubiq; variat, manente eadem re & objecto. Physica agit de homine, quatenus corpus naturale, Ethica quatenus moraliter informandus, Medicina quatenus curabilis, Theologia quatenus æternum salvandus. Ex his apparet quod non statim disciplinæ per identitatem objecti sive adæquati sive inadæquati confundantur. Applicamus hæc ad præsens institutum. Theologia agit de providentiâ & creatione non sub eodem formali, & modo considerandi, sub quo Philosophia Prov. & creationem considerat. Nam Theologia considerat res suas quatenus *divinitus specialiter revelata*, adeoq; *credibiles* sunt: Philosophia a. quatenus *solo lumine nature cognoscuntur*, & quatenus *scibiles*. Nec hoc absurdum statuere idem objectum partim scibile esse partim credibile, cum distinctio inter articulos fidei puros & mixtos jam dudum approbata, ut in præsentii ulteriori probatione opus non sit. De articulis fidei mixtis *materialiter* sic dictis judicat quoq; Philosophus, non autem formaliter & reduplicative talibus, alias enim fides foret scientia. Cæterum articulos merè Theologicos non nisi Theologia considerat, & propterea eos aut ab instituto nostro alienos remittimus ad Doctores nostræ Ecclesiæ qui abundè satis de his ut *B. Nicolaus Hunnius in Ag. or. de fundamenta. dissen. Calvin. Dn. D. Hülsemannus Theologus celeberrimus, disp. de dogmatum ad salutem necessitate, irreconciliabili Calvin. annexa. Dn. D. Calovius Tom. I System. Theol. cap. V. quest. XI. & XII. novissimè Dn. D. Joh. Meisnerus in Examinis Catechis. Palatini Disp. 2.*

§. 17. Opera potentia excipiunt opera Misericordia, ut sunt: Redemptio, Vocatio, Conversio, Justificatio, Renovatio &c. Hujusmodi opera inevidentia sunt suâ natura & homini extra gratiam revelationis constituto simpliciter abscondita. Extant equidem multa de Redemptore Christo vaticinia in scriptis *Sibyllinis*, quæ ex his hausta in scriptoribus Gentilibus occurrunt utpote quod *Cicero l. 2. de divin.* commemorat, ab interprete librorum Sibyllinorum hanc esse prolatam sententiam. *Regem habendum esse, si salvi esse velimus;*
quod

quod vaticinium *Suetonius in Vespasiano cap. 4.* refert, fore ut ex *Judæ*
oriretur, qui rerum potiretur, quod Virgilius 4. Ecl. canit è Sibyllæ
carminibus, de puero nascituro ex virgine, qui toti orbi imperaturus
esset, deleturus hominum peccata & serpentem occisurus est, & seculum
aureum reducturus V. Petri Molinai Vates lib. 3. cap. 14. & Michael Ne-
ander Narration Apocryph. de Christo p. 419. multa alia vaticinia de
 Christi Adventu, Nativitate, Persona, Miraculis, item de Deo uno &
 Trino collegit, idem fecit *Spanhemius Dubiis Evangel. dub. 34. p. 373.*
 Quod concernit autoritatem Sybillarum, notum est, quod multi
 adhuc dubitent partim de Existentia Sibyllarum, partim de Sibylli-
 norum carminum quæ talium veritate statuentes, conficta esse à
 Christianis eadem, & tributa pòst Sybillis ad convincendos gentiles
 vid. *Isaac Casaubon Exercit. I. contra Baron. p. 51. seq.* Hanc Casaubo-
 ni sententiam aliis adhuc rationibus corroborat *B. D. Gerhard. T. IX.*
Loc. Tract. de consummat. seculi §. 95. item *D. Balduinus lib. 2. Cas. con-*
scient. cap. I. Sed in dubium hæc revocare non permittit Historico-
 rum etiam vetustissimorum constans & unanimis consensus ut *Ci-*
ceron. lib. de Divinatione, Gellii lib. 1. c. 19. Cornel. Taciti Annal. lib. 6.
 Quibus assentiuntur è recentioribus prædictus *Spanhemius* l. cit. è
 nost. *B. Frantz. tract. de interpretatione scripturæ p. 161. ibidemq; ver-*
sus Sibyllæ Erythrææ recenset. Dn. D. Calovius cap. 8. ex parte quoq;
subscribit Isag. & T. 1. laudati Syst. Theol. quest. XI. Et cum multa
 extent in scriptis Sibyllinis non *mores solum, disciplinam hone-*
statis externam & res naturales spectantia; sed mysteria quoq; fidei
& miracula, ideo distinctè de his omnibus judicandum est. Di-
 stinguimus proinde inter *generalia* Sibyllarum vaticinia & *spe-*
tialia seu *clariores* quasdam *circumstantias.* Illa in quantum scri-
 ptis prophetis congrua fuere, hausisse & habuisse vel ex conversa-
 tione cum populo Judaico, vel ex lectione Bibliorum 70. Interp. vel
 deniq; ex famâ, dicendum omninò est, hæc nempè *specialia* de cer-
 tis circumstantiis circa passionem Christi eventuris, & miraculosis
 Christi actionibus, de quibus *Lactant. lib. 4. de verâ sapientiâ cap. 25.*
 aliter explicanda sunt. Verisimile autem non est, existimare tam
 profunda mysteria gentibus fuisse clarius proposita (prout fit in
 oraculis Sibyllinis) quam illi populo, quem Deus opt. max. ut pecu-
 liariter suum dilexit, & suamet ipsius, & fidelium suorum servorum
 voce erudit, cum constet, mysteria Christiana specialiora hæc ante
 Christum

Christum fuisse abscondita, præterea Veteres Græci de his peculiari-
bus circumstantiis passionis Christi & aliis miraculis nihil cogno-
verunt. Statuendum ergo aut hoc, quod Sibyllarum vaticinia eaq;
specialia planè non extiterint, ante Christum natum; | aut eadem è
divino afflatu extraordinario habuerint, quo perculsi leguntur etiam
reprobi ut Bileam, Caiphaz, tertium vix dabile est.

§. 18. Deniq; sequuntur *opera* Justitiæ, quæ sunt: **Seculi Con-**
summatio, Mortuorum Resuscitatio, Ultima dijudicatio. *De seculi*
consummatione nihil novit ratio naturaliter sibi relicta, ut patet tum
ex ignorantia *formæ*, quæ consistit non in nudâ qualitatum muta-
tione; sed substantiæ totali abolitione: tum *adjunctorum*, quæ sunt
I. Tempus quod nulli hominum etiam sanctissimorum prophetarum
sc. & Apost. utriusq; fœderis Deus manifestavit; multo minus id de
gentilibus quâ talibus præsumendum est. *II. Signa prognostica*, quæ
& qualia futura, & immediatè diem extremum præceslura sint. Cæ-
tera quæ de mutatione & novissimâ mundi everfione in scriptis Gen-
tilium sparsim occurrunt, nil præter umbram quandam à Christia-
norum qualicunq; relatione ortam referunt. *Mortuorum resuscita-*
tio an Gentilibus natura fuerit perspecta & apodicticè cognita dici
nequit. Referri tamen eò potest opinio *de animæ immortalitate &*
vitâ post hanc quam crediderunt, & *summo bono sempiterno*, quod à
summo Numine expectarunt, exemplo sunt *Zoroaster, Pythago-*
ras, Socrates, Plato, Xenocrates, Epaminodas, Cicero, Photinus &c.
Idem judicandum de *ultimo iudicio* quatenus hoc ipsum quoad sub-
stantiam actus & omnes circumstantias dijudicatur. Habuerunt
quidem sensum de peccato, de transgressione legis, poenâq; peccati
vi dictaminis conscientiæ; sed notitia hæc sensusque iudicii alicu-
jus futuri non exhaurit totam latitudinem hujus articuli. Dicen-
dum itaq; quod aliqualis, imperfecta & obscura fuerit notitia hæc,
certa tamen, quam ipsis gentilibus sine temeritate quadam tribuere
possumus, cum in præced. Disp. probatum satis, quod gentiles no-
titiam naturalem legislatoris habuerint, qui gemino respectu consi-
deratur vel ut justus scelerum iudex, vel ut virtutum remunerator.
Ex his & similibus abundè constare potest quam imperfecta sit Theo-
logia naturalis de Deo, ejus voluntate ac operibus. Et hæc imperfe-
ctio multis modis Theol. competit. *I. Ex parte objecti*, quia naturalis
cognitio non asurgit ad mysteria operaq; divina. Neq; insuper Re-
demptorem **Christum attingit, nec modum, quo Deus ab homini-**
bus

bus colivult, aut media, quibus Deus nos ad salutem perducere decrevit, investigare potest. II. Ex parte *modi cognoscendi* imperfecta est nostra cognitio naturalis, quia pleraq; quæ de Deo naturaliter novimus, obscurius & plerumq; per argumenta difficiliora, ut insuper demonstratum fuit, cognoscimus.

§. 19. *Forma & quidem Metaphysica est activitas* intellectus nostri circa Deum & res divinas, in quantum per naturam eæ cognosci possunt. Rectè distinguitur inter ipsum intellectum & ejus habitum, vi cujus hæc activitas ipsi competit. Per hanc activitatem autem non intelligimus *naturalem* in solâ proclivitate consistentem, cujusmodi remotam potentiam & aptitudinem insinuare videtur *Crellius de Deo & attrib. divin. cap. 5.* sed *habitnalem* innatam facultati $\chi\epsilon\iota\tau\eta\kappa\eta$ ipsius intellectus superadditam, quâ mediante cognitio *naturalis conservatur, & intellectus determinatur quâ objecta cognoscibilia habitualiter.* *Excell. Dn. D. Calovius Conf. Gnostolog. cap. 7.* Alias intellectus noster est potentia indeterminata ad operationes suas excernendas, & interdum in utramq; partem contradictionis æqualiter propendet propter æquilibrium sive $\iota\sigma\upsilon\tau\eta\tau\epsilon\varsigma\ \tau\omega\upsilon\ \epsilon\upsilon\alpha\upsilon\lambda\iota\omicron\upsilon\ \lambda\omicron\gamma\iota\sigma\mu\omega\upsilon\ \nu$. *Top. c. 6.* Interdum ad unam magis quam ad alteram partem cum formidine in oppositi inclinatur. Quamvis equidem intellectus determinatus sit tã quoad *actus exercitium*, ut præsentem objecto, positisque omnibus requisitis non possit assensum negare, aut suspendere, quemadmodum potentia visiva, posito objecto, positisque omnibus ad videndum requisitis non potest videndi actum inhibere; quam quoad *actus specificationem* verum & falsum, ut non possit non qualicumq; evidentiâ objecti convictus assentiri iis, quæ vera, & ab aliis contra dissentire, quæ falsa sunt, sicut quoq; voluntas ex se est indifferens ad appetendum hoc & repudiandum pro libertate sua, cum nullum sive *universale*, sive *particulare* bonum necessario à voluntate appetatur, sed ita ut etiam possit non appeti: Sic de nulla re ita necessario homo cogitat, quin de eadem possit non cogitare, aut cogitationem alio avertere; nihilominus tamen hæc determinatione non obstante, dicimus intellectum esse indeterminatum, cum modo citata determinatio intellectus sit infirma admodum atq; trepida adeoq; cū virtuali formidine sæpe conjuncta, ut quando objectum non adeo evidens, & perspicuum est intellectui; hinc fit, quod suspendat judicium interdum circa negotia, quæ moram non admittunt: vel agat quidem, sed nunc intensius & fortius, nun remissius, idq; uti dixi vel
propter

propter objecti inevidentiam, vel ob majorem aut minorem ad-
tentiam, vel ob aliud aliquod impedimentum. Ut autem hæc omnes
difficultates tollantur, & intellectus noster promptius atq; facilius,
& cum voluptate operari possit, habitu aliquo potentia superaddito
opus est, quem diximus §. 3. innatum. Ab hoc jam determinatur in-
tellectus noster ceu ab aliquo sibi contradistincto, cum nihil seipsum
determinet. Vid. *Suarez. disp. I. Metaphys. Sect. IV. num. XV.* &
ex hac determinatione resultat *activitas*, de qua nunc agimus. Cæte-
rum *activitas* hæc non eodem modo, & quidem pro diversitate sub-
jectorum comparata est. Nam in infantibus *activitas* hæc aliter sese
habet, his equidem *actu* ipso inest, non tamen *per modum actus h. e.*
actualiter, nec potest propter organorum infirmitatem, quorum di-
spositio & usus plurimum facit *ad modum objecta deferendi, etsi mo-*
dum ipsum intelligendi & cognoscendi non constituat, uti habet B. Sper-
lingius, natura interpretis felicissimus. Synopsis Anthropol. Phys. lib. I. cap. III.
quæst. 3. Et aliter quoq; sese habet in adultis, in his incipit sese, cre-
scente sensuum usu, actu exercere, quò fit ut principia ingenerata
ipsis nonnunquam sensibus ex accidenti illustrentur. Sic infanti
innata est hæc propositio: Totum est majus sua parte: non quoad
verba (illa enim pendent à *ἕσται* non *φύσται*) sed quoad rem. Cum
infans adultior videt totum pomum, & frustulum pomi, principium
insitum fit clarius. Quare largimur facile distinctos & certos hic esse
gradus, ita ut ante annos discretionis illa principia non sint ita clara
& distincta uti in adultis & spectata ætatis hominibus. Atque hæc
activitas est circa Deum & res divinas non quatenus *credibiles*, quo
modo à solâ scripturâ S. dependent, sed quatenus *scibiles*. Neq; omni-
bus modis perfecta, sed suo modo tantum sufficiens, cum etiam in
eruditissimis Theologis naturalibus suos nævos habeat, & ipsi *docto-*
res cum *discipulis* id habeant commune, ut circa res quoq; natura-
les tam theoreticas quam practicas occupati *Numen implorent* exem-
plo *Hermetis Trismegisti* qui studii initium cantu, finem sacrificio fe-
cit. Quod etiam comprobat *Augustana Confessio Art. XVIII. & Apol-*
gia ejusdem dicens: ad multarum naturalium cognitionem, præter
influxum Deigeneralem, superioris alicujus principii gubernatio-
nem requiri, absq; qua si fuerit, intellectum nec semper assentiri di-
ctis nec intelligere satis & capere ea ipsa posse, præcipue cum diabo-
lus non cesset mentem hominis à veri cognitione divertere.

§. 29. *Finis* alius per se intentus; alius accidentarius est.

§. 21. *Finis*

§.21. *Finis per se intentus à creatore est, ut cognitio hæc sit incen-*
tivum ad ulterius inquirendum de Deo, & quædam quasi manuctio
inducens hominem ad cogitandum & disquirendum de cœtu, in quô
verus Deus Israelis habitat. Et hic finis proximus & adæquatus est The-
ologia Naturalis, quædam pædagogia ad communionem Ecclesiæ, in
quâ verbum sonat, adducere; ulterius e. sese latitudo hujus gratiæ, & Dei
in illa dispensanda intentio juxta nonnullorum patrum expositionem,
non extendit. Hanc Dei intentionem uberius probant continua celebri-
tate Christianæ Ecclesiæ. Act. 2. 9, 10, 11. Matth. 23. 15. Rom. 10. 18. quæ quidem
neminem ex gentilitate movere potuit ad associandum se illi Ecclesiæ
quia celebris erat: Hoc enim habet commune cum templo Ephesino, &
cultu Dianæ, quam tota Asia & universus orbis venerabatur. Act. 19, 27. vel
cum celebritate Idololatriæ Mabumethanæ ad quam nostro seculo ex toto
orbe legati confluebant, in circumcissione Amurathis III. Anno 1582. V.
Osiander cent. 16. cap. 18. sed quam Deus ideò voluit esse celebrem, ut de
hac Ecclesia ingereret Gentilibus cogitationem, creatorem universi or-
bis, quia illic unus coleretur, illic inquirendum esse. De his leg. Theolo-
gus Eminentissimus Hülsemannus Diatrib. Scholast. de Auxiliis Gratiæ disp.
alterâ thes. 3 seq. it. Brev. Extens. cap. IV. §. 8. Falsum ergo est I. quando Alste-
dus part. I. Theol. Natural. cap. 2. asferit finem immediatum Theol. Nat. esse
præparationem hominis ad supernaturalem gratiam suscipiendam, qui
finis Th. Nat. hodiernæ concedi nequit. Nam confundit Alstedius Theol.
Nat. hodiernam post lapsum cum paradisiacâ ante lapsum, hæc habebat
sese per modum alicujus præparationis, de hac præparat. nostrum non est
multa disputare qui informari cupit hac de re evolvat Pl. Reveren. Dn. D.
Calovium in Isag. & B. W. Lyseri Trifol. veræ Relig. V. T. Disp. I. §. 20. Gravius
adhuc erravit Zwinglius in Exposit. fidei ad Regem Christianissimum p. 554.
qui Herculem, Numam, Aristidem, Socratem inter beatos cœlites numerat,
quem librum præfatione ornavit Bullinger vocans cantionem Cygnæam,
eumq; insigniter è recentioribus excusat Gualterius in Apologiâ pro eodem
&c. Rivetus Tom. II. in Explicat. Ps. 19. Voetius Tom. II. disp. Select. p. 62. Wende-
linus Exercit. 38. Amiraldisæ quoq; idem propugnant, ut videre est apud
Amiraldû in specimine contra Spanhemium. II. Pontificii, qui itidem gentili-
bis salutem tribuunt per solam legem naturæ. Quorum alii quidem de
possibilitate disputant ut Greg. de Valentia Tom. IV. Disp. 6. quest. II. cursus
Theolog. alii his rigidiores de actu ipso quærunt & actu aliquos salvatos
esse per legem naturæ concedunt ut Cornelius Agrippa qui recenset librum
Anonymi cujusdam de salute Aristotelis, quem 8. rationibus confirmat: An-
dradius contra Chemnit V. concil. Trident. Exam. p. 108. Neq; hanc senten-
tiam

tiam adeo improbat *Tannerus Disp. I. quæst. 7. dub. 2.* ubi recenset Scholasticorum opiniones & dicit, *forſitan* eſſe hæreticam hanc opinionem. Utrumq; falſum tamẽ eſt. Nos a. hic diſtinguimus I. inter hæſce duas quæſtiones, quarum altera hæc eſt: An Theol. Naturalis habeat *vires pædagogicas* ad ſalutem adducendum? & hanc concedimus: & altera, annon habeat *immediatè ſalvificas*, & hanc negamus. II. Non quæritur præciſe de eo an ſub lege naturæ; ſive exiſtente Theologia naturali tantum, quidam ſalvati ſint? quæſtio hoc modo formata non improbanda, ſiquidem tantum agit de *tempore ſalvationis*; ſed de eo potiſſimum quæſt. eſt. An per legem naturæ ſ. Theol. Naturalem quidam ſalvati ſint? & hic reſpondemus negando, quippe quæſtio jam aliter formatur, & agit de *medio ſalvationis*. Quibus obſervatis, non adeo difficile erit ad pleraq; Adverſariorum reſpondere.

§. 22. *Finis* accidentarius ſ. eventus ex abuſu notitiarum naturalium profluens eſt *ἀναπολόγησις*, ſ. *inexcusabilitas*, de qua Rom. 1. 20. Alius e. finis eſt, qui à Deo *intenditur*, de quo in proxime præcedente §. & alius qui obtinetur de quo *loc. cit.* Apoſt. egit, ut exinde patet. Nam poſtquam Apoſt. exiſtentiam Theol. Naturalis demonſtraverat, culpam nunc abuſum notitiarum naturalium, oſtendens quomodo hac cognitione gentiles abuſi ſint. Male ergo Calviniani cenſores *Leidenses in Cenſurâ Confessionis Remonſtrantium cap. II.* abuſuntur dicto Apoſtoli. Prædictis aſſentitur *Paræus* in h. l. ſtatuens: ideo dici gentiles inexcusabiles, ut eo magis damnarentur. Sed falſiſſimum hoc eſt juxta ac blaſphemum. Nam ſi hic eſſet finis à Deo intentus, ſequeretur multò magis Deum eſſe inexcusabilem quam gentiles. Reliqua quæ hic Calviniani diſputant, & quæ ex h. l. pro cauſâ peccati peti ſolent, à noſtratibus ſatis ſuperq; proſtigata vide, & quidem ex profeſſo *B. J. Martini* in peculiari *tract. de cauſa peccati per accidens Disp. 3. §. 49. & Disp. 4. §. 11. & Steuber Disp. I. Miscell. contr. 4. Grauer diſp. 9. quæſt. Illuſt.*

§. 23. *Definitio* Theol. Naturalis in genere hæc eſt: *Notitia Dei naturalis eſt, quæ aliquod ſupremum Numen, idemq; ſapientiâ & potentiâ ſuâ moderari omnia in hoc univerſo, lumine natura cognoscimus.*

§. 24. In ſpecie v. & quidem Theol. Nat. innatæ ex hæctenus recensitis definitionis membri hæc fluit def: *Notitia inſita eſt habitus primorum principiorum de Deo intellectui per naturam ſine mentis operâ imprefſus, eundemq; perficiens ad actualiter cognoscendum Deum.*

§. 25. Deniq; Theol. Nat. acquiſitæ talis extrui poteſt: *Theologia naturalis acquiſita eſt habitus aliqualis Dei cognitionis, accuratâ rerum creatarum contemplatione vi diſcurſus naturalis comparatus.*

§. 26. Hæc qualitercunq; pro ingenii noſtri tenuitate de hac arduâ materiâ in medium allata hæc vice ſufficiant: Reliqua materiæ hujus capita de principiorum rationis valore in rebus Theologicis, aliâ data occasione ſubjungemus. Hic jam pedem figimus dicentes æternas GLORIOSO RERUM CONDITORI gratias!

UT nunc Naturæ Legem scrutatus **HÖHERE**
Numen cognoscis; sic sic penetralia sanctæ
Scripturæ ingressus Jovæ cognoscito nomen,
Atq; Deum agnosces æterna sede beatus.

Johannes Meisnerus D.

Et Prof. Publ.

Ad Præstantissimum

DN. RESPONDENTEM,

Amicum sincerè dilectum.

Non universo delitescit angulus
Mundi theatro, qui sit expers Numinis.
Ubiq; pictum reperias summum Deum,
Etiam in quâvis reculâ abjectissimâ.
Hinc Te Theologum dico, **MATTHIA** optime,
Cum pandis aditus, eq; naturâ suam
Divinitatem, quâ superbit, extrahis.
Gratulor ab imo pectore; & felicitas
Ut propria Tuis ausibus maneat, precor!

M. Balthasar-Johannes Pichtl,

Facult. Phil. Adjunctus.

Juveni

Præstantissimo atq; Politissimo

DN. MATTH. HÖHERO,

Philos. Cultori solertissimo.

Esse Deum, Ratio Gentilibus ipsa revelat:
Cognitio numeris sed caret ista suis.

Quippe

Quippè ad perpetuam nihilum facit usq; salutem,
Salvifico Verbi lumine cassa sacri.

Ecquid Aristoteli, quid profuit illa Platoni?

Nil: quia scripturam non habuere ducem.

His super egregio disquiris, Amice, labore:

His super ex cathedrâ verba diserta facis.

Perge age! Felices ego, quo decet, ore metroq;

Succesus studiis opto precorq; Tuis.

L. Mq; pos.

PRÆSES!

NOmine fit vates HÖHER sibi: dicitur ALTUS.

Haud omen fallax! Alta dat, altus erit.

Ima fugit; superos naturâ nôsse revelans

Summa petit. Superis altius adde nihil.

Alta dat. O dederit! Dabit hunc ALTISSIMUS altum.

Quemq; laborantem digna brabea manent.

Per Eximio Dn. Respondenti, Conteraneo

atq; Amico honorando manu ac men-

te amicâ gratulabundus apposuit

Johannes Moldner, Neosolio;

Hungarus.

os (O) os



Quippè

21 mg. VI 37


ULB Halle
003 913 872 3




Sl.

23 17







B.I.G.

Farbkarte #13

SUCCINCTA CONS-
 ATIO
SENTIA
 TATE THEO-
 NATURALIS,
 ttebergensi Academiâ
 iterum
 SIDE
 Pereximio
ELE MOVIO
 â-Pomer.
singulari honoris cultu
erandô
 m examini subjecit
HERUS, Montanus
 o-Hungarus.
 V. Jan. & XXV. Febr.
bilosopborum.
 BERGÆ
 NERI, Academ. Typogr.

h. III. 2123